Noverint universi quod nos Guillelmus Domenge legum doctor, Jacobus Benet et Petrus Planell consules hospitalis novi Gerunde, attendentes et scientes quod dudum Franciscus Siyani çabaterius Gerunde et eius uxor Margarita
vendiderunt Petro Ledoni quondam sabaterio oriundo parrochie Sancti Martini de Presa, tunc vero Gerunde commoranti, et suis et quibus voluerit perpetuo quendam campum terre quem habebant in plano Gerunde
supra hospitale novum, prout confrontatur ab oriente partim in quodam campo den Mieres sartoris Gerunde, a meridie partim in campo de Vilaubino et partim in quodam camino transitorio quo itur de Gerundella
de plano versus rivum Undarris, ab occidente et a circio in honore heredis Bernardi Raymundi de Bosco quondam tabernarii Gerunde, camino tamen versus circium mediante. Quam vendicionem ipsius campi fecerunt
dicto Petro Ledoni et suis precio [illegible] solidorum barchinonensium de terno, salvo semper iure et directo dominio dicti hospitalis novi Gerunde in omnibus, [illegible] terciis laudimiis foriscapiis
empara, fatica et iure retinendi aliisque omnibus ad directum dominium pertinentibus. Et quod dictus Petrus Ledoni et sui facerent et prestarent dicto hospitali novo annuatim de censu pro dicto campo in festo sanctorum Petri et
Felicis decem solidos barchinonensium de terno. Et etiam alios [illegible] facerent et prestarent pro censu eiusdem campi piaterie monasterii Sancti Danielis Gerunde in festo Sancti Michaelis mensis Septembris annuatim tres solidos
eiusdem monete, prout hec in dicto vendicionis instrumento [illegible] firmatum per [illegible] qui tunc consules dicti hospitalis novi, et quod fuit actum Gerunde die vicesima octava mensis Januarii anno a nativitate Domini millesimo
trecentesimo nonagesimo quarto et clausum per discretum [illegible] de Ponte notarium Gerunde, latius continetur. Attendentes etiam quod licet in dicto vendicionis instrumento contineatur quod totus dictus campus
terre superius confrontatus tenetur ad directum dominium pro dicto hospitali novo, attamen est verum et certum, et rei veritas est ista, quod aliqua pars dicti campi divisa et determinata tenetur ad directum
dominium pro dicto hospitali novo. Et aliqua pars eiusdem campi divisa et determinata tenet ad directum dominium pro venerabili domina piatrice dicti monasterii Sancti Danielis Gerunde et eius officio
piaterie, sicut inferius continetur et declaratur, prout per publica instrumenta [illegible] et alia legitima documenta complete et plenarie nobis constat. Et ideo agnoscendo veritatem et bonam fidem, confitemur
et in veritate recognoscimus vobis venerabili et religiose domine Ermessendi de Villamarino piatrici dicti monasterii Sancti Danielis quod illa pars seu partita dicti campi terre que est versus [illegible] et [illegible]
[illegible] vel circa tenetur pro vobis dicta domina piatrice et sub directo dominio et alodio vestro et officii vestri piaterie, sub prestacione censuum trium solidorum barchinonensium annualium qui vobis et successoribus vestris in dicto officio
piaterie fiunt et prestantur per dominos utiles ipsius partite dicti campi annuatim de censu in festo Sancti Michaelis mensis Septembris, prout affrontatur ipsa pars sive partita dicti campi que pro vobis et dicto
officio piaterie ad directum dominium tenetur, ab oriente in honore [illegible] filie den Jolmada mercatoris Gerunde, a meridie in honore den Sidri mediante camino [illegible], ab occidente in honore dicte Bernarde
Ramona de Gerunda, et a circio in alia parte seu partita dicti campi que pro dicto hospitali novo Gerunde ad directum dominium tenetur, ut inferius continetur, prout est divisum et terminatum per terminos
noviter ibi fixos. Et hec dicimus et confitemur, prout in veritate reperimus, non obstante quod in dicto vendicionis instrumento contrarium sit appositum et contentum. Altera vero pars seu partita dicti campi
terre que est versus circium et continet in se unam vesanam et parum plus, tenetur pro dicto hospitali novo et sub directo dominio et alodio eiusdem hospitalis sub prestacione censuum decem solidorum barchinonensium
annualium et censualium qui per dominos utiles ipsius partite dicti campi fiunt et prestantur anno quolibet perpetuo dicto hospitali novo de censu in festo sanctorum Petri et Felicis, prout affrontatur
ipsa pars seu partita dicti campi que pro dicto hospitali novo Gerunde ad directum dominium tenetur, ab oriente in honore den Mieres sartoris Gerunde, a meridie in alia partita dicti campi que pro vobis
dicta domina piatrice tenetur, prout est terminatum et divisum per terminos noviter ibi fixos, ab occidente in honore dicte Bernarde Ramona et a circio in camino quo itur de dicto hospitali apud
Gerundellam de plano. Et ego Ermessendis de Villamarino monialis et piatrix dicti monasterii Sancti Danielis Gerunde, consentiens predictis et asserens predicta omnia fore vera, firmo, laudo et
concedo omnia et singula supradicta. Et tam nos dicti consules quam ego dicta piatrix volumus et mandamus de his fieri et tradi nobis dictis consulibus unum publicum instrumentum et alterum [illegible] et aliis heredibus
dicti quondam Petri Ledoni per notarium infrascriptum. Quod fuit actum Gerunde, firmatumque, laudatum et confessatum, videlicet per dictos venerabiles Guillelmum Domenge, Jacobum Benet et Petrum Planell consules dicti
hospitalis novi Gerunde die tercia mensis Februarii anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo nono. Presentibus et vocatis ad hec me Petro Pinos notario infrascripto et testibus presentibus
discreto Cigerio Musetti clerico beneficiato in ecclesia sedis, Berengario Altimir calaterio et Berengario Matalini scriptore, civibus Gerunde. Et per dictam dominam Ermessendim de Villamarino piatricem
existente in ecclesia dicti monasterii Sancti Danielis die nona mensis Februarii anno predicto, presentibus testibus discretis Bonanato Natal notario et Bernardo [illegible] mercatore, civibus Gerunde.

Sig+num Petri Pinos notarii publici auctoritate regia substituti a Jasperto de Campolongo publico civitatis baiulie et vicarie Gerunde [illegible] qui hec scribi feci
et clausi cum raso et emendato in [illegible] linea [illegible].

MCPt, flv. nº1
3-2-1399
nº1027
T 295 x 475
(1089)